

www.e-rara.ch

**Totius Belgicae Urbium, Abbatiarum, Collegiorum divisio, ad
opprimendum per novos episcopos Evangelium, Romae sub Paulo III.
Pon. M. Anno 1558 definita, authore Francisco Sonnio Theologo
Lovaniensi**

Sonnus, Franciscus

[Basel], Anno 1570

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-260>

Epilogus

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Epilogus.



H ABEMVS tandem impiūsimorū
 hypocritarum cōspirationem omni-
 bus numeris suis absolutam, hoc est,
 ex impudentia, audacia, mendaciis,
 temeritate, perfidia, calumniis, insi-
 diis ita conflata, vt non solum ad opprimendam v-
 niuersam Inferiorem Germaniam suffecerit, verume-
 tiam ad evertendas omnes reliqui orbis Christiani pa-
 cis, & tranquillitatis reliquias. Cui enim ordini pe-
 percit? quam non regni, & reipub. partem inuasit? cui
 quid reliquum fecit? Siue nobilitatem spectes, siue ma-
 gistratus urbium, siue populum, omnes nudantur, re-
 gia maiestas iuratis legibus, nobilitas maiorum suorū
 monumentis, & liberalitate, vrbes immunitatibus &
 libertate, monasteria & collegia vel donatis, vel la-
 bore quæstis facultatibus, Archiepiscopi, & Episco-
 pi antiquissima dignitate, pastoratus, & reliqua sacer-
 dotia in seruitutem rediguntur, deniq; Ecclesia nuda-
 tur vniuerso patrimonio. Atque hæc omnia in vnā
 compacta massam, destinantur nouæ Chymerae, quæ
 abolita omni tranquillitate, ac salute publica, capiti-
 bus nostris inducat tyrannidem, cædes, supplicia, ca-
 lamitates, & perditionem. Imò etiam vicinæ quæq;
 nationes cum Principibus, & magistratibus suis,
 quantis mendaciis labefactantur? quam fœdis calu-
 mniis lacerantur? denique quam diserta fronte fa-
 ctiosissima rabies præ se ferre audet, se scæuendi hoc
 conta-

contagium effusuram in nullam non orbis Christiani plagam, si modo vlla fortuna successum largiretur opprimendæ patriæ? Si rem ipsam respicias, quæ vnquam vllis seculis prodiit in lucem horribilior tumultuandi, seuiendi, perdendi atrocitas? si autores ipsos, quis cacodæmon dedit tetriora monstra, stupidiore bestias, ridiculosiores laruas ad hæc audenda? Credibile est, si quis olim terræ filios de bello diis inferendo tumultuantes hortatus fuisset, ne misso fœciali antè lacefferent hostem, quàm cum immanibus viribus suis, & altissimorum montium machinis contulissent, & cæli sublimitatem, & Iouis tot calicolarum satellitio armati potentiam, obtemperaturos fuisse, nec commissuros, vt irritis exemplis in perpetuum apud omnem posteritatem fierent infames. At istos tam mortalium hominum, quàm immortalium deorum hostes, quis vel sollicitus, vel benignus Deus quo vnquam exemplo potuit cautiore reddere? Viderunt paucissimis annis omnia finitima regna inexpectata inclinatione, publico quidem, sed concordi motu, constantissimis hætenus animis amplexa illam de religione sententiam, quàm ipsi tot frustratis consiliis, tot corruptis largitionibus, tot struendis insidiis, tam infamibus Synodis tam turbulentis colloquiis, tam exquisitis per Germaniam, Galliam, Angliam, Daniam, Suetiam accensis bellorum fomitibus, oppugnarunt. Viderunt istarum gentium commercia vitari non posse, imò singulos nostratium congressus, contractus, hospita-

tiones, communes peregrinationes, non aliud quam docentium, ac discentium fieri scholas. senserunt tandem intra proprios parietes longè lateque grassari incendia, si vel micam, non dicam sanæ, sed humanæ mentis habuissent, facile expendissent, se tantis rerum momentis resistere non posse. Imò populus iam propemodum sine metu publicè, ac priuatim proficiebat, quò volebat, ad libertatem conscientiarum, ad scientiam veritatis, ad execrationem idolorum, nec non tandem ad suscitandum periculum manifestum omnium eorum, quorum ope, atque opera abominatio subsisteret. Isti interim, quid? An vel intermiserunt, vel omiserunt nefarios conatus metu, an dissimularunt pudore? an indulserunt aliquid periculorum præcipitiis, quæ videbantur ex vulgi odiis eruptura? Quibus circumspècti magistratus cedere solent, etiam tunc, cum ad seditionem fremitur sine causa? Imò nihilo segenius in scholis, & conciliabulis suis conspirabant de regno constituendo, opprimenda libertate subiugando populo: satagebant Romæ, in aula, in collegiis, in monasteriis, quibus videri volebant salutem, & securitatem adversus hostiles hæreses comparaturi. Quis vnquam audiuit? quis vidit similem insaniam? Etsi verò constet non solos istius furoris autores extitisse, sed clam modulus fecisse homines in aula potentissimos nullis non honoribus amplificatos, eruditione, ingenio, prudentia clariores, quam vt ista viderentur etiam toleraturi, nedum facturi, ad quorum

nancros

numeros clandestinos isti simij etiam hodie saltant fabulam in publico. Hoc nomine non minuitur insania periculosi operis, quin potius eo magis elucet peculiaris dispositio Dei, vnde quivis intelligat, id ita satis constitutum esse, ne prius per Inferiorem Germaniam domus regnantis per Christum veritatis assurgat, quam consilia sapientum fiant ridicula, impiorum potentia confringatur, insidiarum & fraudum laquei (quos pedibus Evangelizantium nexuerunt, vt eo securius quæstui haberent Rempub.) implicatos teneant autores suos. Sic ab initio mundi perdidit sapientiam sapientum, vt qui oculos haberent, non viderent, qui conspirassent aduersus Dominum, & Christum eius, inciderent in foueam quam fecissent: ne quam gloriam communent haberet cum hominibus, nec præsidii humanis videretur alligatus, sed inuitis & sapientibus, & potentibus, regnaret in paruulis, & imbecillibus. Hinc est & illud quod sonat in Psalmis. Dixit insipiens in corde suo, non est deus. Non tolerat enim diu Deus arcus, & gladios blasphemantium, sed citò, & antequam credant, illos confringit, hos retorquet in iugulos ipsorum. Quidè quod in memorabilibus regnorum, & religionum alternationibus (quæ vbique fere cohæserunt) admirabili iudiciorum suorum exercitio, Deus tam pios, quam impios ad manifestam confessionem in vtranque partem vrget, vt hi extremum semel evomant fel, quod miscuerunt aduersus

manna Domini Dei exercituum, donec rumpantur vt
 ilia Iudæ proditoris, illi patientia confirmentur ad
 afflictionem, fide ad desperationem, spe ad lon-
 gam moram, donec solatio succincti ascendant in
 montem Domini, & locum sanctum eius. vnde pro-
 spiciant Luciferum de fastigio suo cadentem cum
 omni satellitio malignantium. Quæ si diligenter
 attenderent homines pij, adeò non offenderentur,
 aut vllò tædio malorum suorum afficerentur, vt etiam
 voluptatem quædem perciperent ex insolenti, & bla-
 sphema securitate impiorum. Quid enim iucundius
 esset quàm, dum hostes veritatis, & oppressores iusti-
 tiæ in vtranque aurem dormiunt, contemplatione se
 oblectare, atque obseruare hinc pietatis, illinc sce-
 rum decentissimum incessum: qui tametsi, post-
 quam ad extremam metam pervenit rapido, occulto-
 que impulsu fertur in præceps: tamen ipsa serie, cau-
 sarumque contextu, ita se accommodat hanc in par-
 tem iustissimis iudiciis Dei, in illam, moribus & meri-
 tis hominum, vt neque ab ordine providentiæ diuinæ
 exorbitasse, neque extra sensum obseruare, atque ex-
 pectare volentium (in si vel valde obtusa essent, vel
 certè ex illo, quos dixi, securè peccantium numero)
 vnquam se subduxisse videatur. Hæc quidem fallunt
 illos mundi sapientes, qui reiecta voce, oppressoq; ver-
 bo eius, pro canibus se in præsepibus Rei publicæ ge-
 runt, sed non fallunt eos, qui voluntatem Dei scrutan-
 tur in scripturis, qui iudicia eius expectant rebus ma-
 turis, & tempore oportuno. Tales inquam, neque nu-
 bium

bium voces, neque monstra, neque prodigia, neque elemētorum duella requirūt, sed ipsi ex arcanis diuini sensus necessarias causas depromunt. Cur non tunc inchoentur illæ aliis horribiles, aliis desiderabiles mutationes, cum à prima illa simplicitate veritatis, & iustitiæ (vnde tanquam ex fundamentis paruæ res semper creuerunt) degenerari cœpit ad prauitatem, & præuaricationem, sed tunc, cum polutis diuinis legibus, antiquissimisque, ac saluber-
 rimis institutis oppressis, delicta vertuntur in consuetudinem, peccandi audacia, inuentis impiis patronis, pro lege, doctrina, & religione reputata est impietas pro cultu Dei habetur, blasphemia pro inuocatione, denique, cum eò redacta sunt omnia, vt, qui tueri salubrem statum deberent, evertant, qui confirmare, ac fulcire, lacerent, dissipent, turbent. Imò, cum tædet propriæ salutis, cum saturitas oborta est omnium bonarum rerum, pacis, tranquillitatis, cum nec serij, nec honesti, nec pudoris superest vllum vestigium, cum in horum locum successerunt vanitas, turpitude, & impudentia. Quid multis? quoties oderunt omnia præsentia, quæerunt mutationem, & interitum, consilia non ad emendationem, & pœnitentiam explicantur, sed ad contumaciam & obdurationem: ingenia non ad institutionem, solatium, & salutem societatis humanæ vigent, sed prout quisque plus solertia, & calliditatis habet, ita nocentissimus est. Quæ ne pro nostro potius stomacho, quàm ratione

dixisse videamur, laudatissimorum populorum exemplis ostendemus, modò ne quis morosus obstrepat, qui gentium Respublicas temerariis casibus agitatae fuisse, non ad diuini ordinis curam pertinuisse contendat. Temporibus Socratis Athenienses ad summum effloruerant, & erat tunc illud in ea repub. punctum absolutissimi vigoris, sed incepit mox per Græciam proteruire, non prodesse sapientia. vertebantur dona Dei summis incrementis luxuriantia in ludum, iocum, irrisionem, ostentationem, blasphemias, convicia in Deos simul atque homines. iactabant statum ciuitatis in foro oratores, non secus, ac pilam in sphaeristerio, gesticulabantur in theatris histriones, poetæ pro canendis deorum laudibus, (quod & Plato deplorat) deblaterabāt probra optimorum ciuium, figebat aculeos Pericles, rapiebat instar inundantis pelagi populum, quò vellet Demosthenes, subsannabat acta magistratuum, magistrique sui sanctitatem Aristophanes, postulabat de qua quis re vellet audire Gorgias, negabat contradici posse Antisthenes, quadrata esse probabat, quæ essent rotunda, Briffon: candida vocabat nigra Anaxagoras, abundabant rationibus, & his ipsis rationibus iactitabant in rationibus nihil esse firmum, aut certum, sed veritatem, velut in Euripo sursum ac deorsum iactari. Denique, cum oporteret tot seculorum serie, & magnorum ingeniorum obseruatione, omnia semel esse certa, comperta, definita, luxu ingeniorum cuncta promiscuè vocabantur in dubium.

dubium. Nunquam insolentius exagitata religio, nunquam contumacius concussæ leges, in dissensionem venerunt principia, & fines rerum, elementa, Deus ipse. Imò, quemadmodum in fecundissimis aruis nascuntur tribuli, cardui, lappæ: ita sapiendi luxuria tunc edidit absurdissimas sectas Pyrrhonorum, Epicuræorum, nec non aliorum multorum, qui tamen melius colorabant errores, tamen nec vita, nec sententia erant meliores. Quid tandem accidit? corruptam veritatem, & attemeratam pietatem excepit statim libertatis, omniumque patriarum legum excidium. pulcherrimæque illa politia non solum in seruitutem cecidit, verum etiam, sicut vnus membri contagium cancrum vorantem spargit per omnia reliqua, ita alias omnes Respublicas, quibus Græcia tanquam multis oculis ornata, atque illustrata erat, secum traxit in ruinam. Venio nunc ad Romanos. Nam vt hos coniungam, postulat non tam temporum ordo, quam multo magis rerum omnium morum, factorum, legum, consiliorum in vtraque genti similitudo. Creuerat illa ciuitas quemadmodum ex paruis, ita & infamibus rudimentis, sed tamen frugalitate, iustitia, prudentia, temperantia, fide, integritate morum in eum statum, quo non, vt fortiter faceret, (sicut maioribus studio fuerat) sed vt ornatè, & callidè diceret, auidè coaceruaret, splendide habitaret, molliter viueret, vnicè cordi quisque habebat. Non erat, quo summa potentia, opes, luxus crescerent, successerat curiosum, & inge-

niosum otium græcanicis studiis sæcundum, ex studiis nascebantur mores, nec frustrabatur effectu suo exotica doctrina, nascebantur eadem disidia, conflictabantur philosophorum sententiæ, pro vt vel Athenis quæsitæ essent, vel Romam acciti, vincebat Epicurus, quod deplorat non paucis locis Cicero. Is vnicus sufficiebat occupandis primum patritiorū familiis, postea Imperatorū aulis, is nobis vt antè Lucretium Carum scriptorem absurdissimæ phisices dedit, ita aliquanto post Ciceronem, non secus, atque cornu copię lactauit Cornelium Tacitum, Valerium Maximum, Martialem, Iuuenalem, nec aliò tunc profecit illa potentissima monarchia, nisi vt post superstitionem, qua omnium devictarum gentium idola in vnã urbem cõmi grauerant, tandem omnem de deo, atque operibus eius opinionem exueret. Testantur id nobis, vt omnes fere eorum temporum scriptores, & maxime hi quos nominauì, ita, & Epictetus philosophus, & reliquorum omnium impiissimus, nec hodie quidem in suis asseclis sterilis, Galenus Pergamenus. Itaque qui hostem non haberent, abri piebant domesticas amicitias, vt ciuilem hostem inuenirent, sic inter proceres cum non inuenirent victorię, quo grassarentur, ciuilia micabant arma. dissensio erat, vt opinionum, ita animorum, donec tãdem vera fierent, quæ poëtæ ipso- rum præfagierant eventura.

Nunc patimur longæ pacis mala, for-
tior armis

Luxuria incubuit —

⊗

O fa-

O faciles dare summa Deos, eadēmq;
tueri

Difficiles. —

Nec fefellerunt vates, etsi omnis diuini afflatus expertes, ipsorum oracula. Nec enim obscurum est, quam ad *αἰσθησις*, tyrānidem, crudelitatem, vastitatem ille luxus, securitas, impuritas, animorum perversitas, opinionum absurditas rem Romanam adduxerint, donec tandem gentium domina fieret barbarorum spoliū, mundi miraculum in ruderum aceruū mutaretur, quæ ad iniuriam cum deorum, tum hominum feræ beluæ insiderent in hodiernum vsque diem. Invasit hæc pestis Romanam ciuitatem, cum Græci a missa monarchia. Flaminio duce ab Alexādi posteritate vtcunque recuperassent libertatem quidem, sed absque imperio, quam pestem initio eiusdem monarchiæ Macedonum victoriæ, deductis in Asiam & Aegyptum coloniis, illis gentibus ita contagiosam effecerant, vt vicina scabies paulatim etiam in populum Dei serperet, vt merito dubites, surgentes, an cadentes magni dominatus plus inferant, aut relinquunt vitiōrum. Sed solet esse hic exitus victoriarum, vt victor, præsertim potens, det victis nouas leges, mores, religiones, deos, nec restat quidquam etiam cultissimis, & erudissimis gentibus, quarum politias fatalis quæpiam (vt inquit Plato) periodus attigerit, quam vt longius, latiusque ferantur ad vastitatem, & solitudinem, ne dicam, quod leuissimis Orientis populis, & reges etiam suos numinum loco adorare assuetis

facillimum fuit persuadere errores sapientiæ, & pietatis specie fucatos: illum sanctum, atque electum cæ-
 tum, qui toties renouatis promissionibus confirmatus, qui vatum consiliis, non aliter, quàm perpetuis cum Deo colloquii sustētatus, qui de perpetuitate certus, ac securus exorbitandi causam videbatur non habere, quis potuit casus labefactare? quæ ruina trahere? Non erat, fateor, nouum quidē etiā huic populo dare graues delictorum pœnas, & vel occultis Dei cōsiliis, vel manifesta diuinæ legis negligentia modò Aegyptiis, modò Palestinis, modò Assyriis tradi affligendum, sed ita tamen, vt ab illis calamitatibus semper licuerit cō-
 ualescere ad libertatem, & salutem. Ad æternum igitur excidium politię, ad dissipationem totius collecti populi, vastationē terræ, everSIONem munitiōnū, quibus orbis nihil habebat cultius, & firmitus, deniq; ad perpetuā etiam nominis abolitionem, atq; memoriæ, nō aliud malum presentius erat, quam præsidio prophanorum dogmatum, quæ vndiq; ex vicinorum cōtagiis infundebantur, proprias leges ore Dei dictatas in hæreses diuellere. Itaque nō enormes transgressiones, non idolomanie pene pertinacissimæ, non sacrorum cultuum iniuriæ, non captiuitates, & exilia, non prophetarū cædes, tantum contaminarunt, quantum illæ sectæ, quæ ex ipsis adytis legis ductæ supra legem sese extulerunt, ostentationēq; sanctimonie, & mixtura exoticæ sapientiæ in eam ambitionē propectæ sunt, vt iam nō sufficeret pro posteritate Abrahamæ, Isaac & Iacob, dici Phariseos, Essæos, & Saducæos, nisi etiam illatæ

illata in templum Dei Græcorum philosophia, ipsi
 Pontifices, & sacerdotes Academicorum, Stoicorum,
 & Peripateticorum gloriarentur nominibus. Qua no-
 ua opinandi impietate, dubitandi cæcitate, rixandi vi-
 rulentia, titulorum, & nominum vanitate, errandi non
 solum pertinacia, sed & cæcitate, scilicet id profectum
 est, vt populus promissionibus erectus, prophetarum
 clamoribus eruditus, ceremoniarum, & sacrificiorum
 vsu exercitatus, potentia, ac singulari propensita-
 te Dei custoditus, Messiam tot seculis iactatum in pro-
 pria venientem non agnosceret. Horribile profectò
 præcipitium erat filios aeternæ expectationis in ipso
 momento salutis frustrari sperata redemptione, ex-
 ecrabilius erat spectaculum, discipulos cœlestis do-
 ctrine, quibus ad duo annorum millia quasi manci-
 pio se addixerat Deus, peregrinis venenis imbu-
 tos, execrabili perfidia desciscere ad spontaneas te-
 nebras, planèque recalcitrare in pædagogum Deum
 manu ducentem ad lucem. Atque hæc quidem tam
 horribilium mutationum per Asiæ, atque Euro-
 pæ potentissimas politias fuerunt præludia. Super-
 est nunc vt & illa excutiamus, in quibus nostrarum
 rerum eventus, quasi omnibus coloribus absolutè
 depictus cernitur. Monachismum initio Ecclesia
 Christianorum tanquam sacrum quempiam ignem
 cœlitus accensum in sylvas, & solitudines abdidit, vt
 si quando persecutionum atrocitate periclitaretur iuge
 sacrificium sancti sanguinis, esset, vnde sacirentur dâna.
 Is arcanus thesaurus paulo post vix ferens initia sua,

quem non languorem incurrit, vt vix carbones, & cineres superessent? Paulatim enim sublatis periculis, placuerunt tamen in ipsa solitudine otium, ignauia, superstitio ex solitudine nata. Quid tandem? natus est in sinu Ecclesiæ serpens, ceperunt degenerare illa asyla conseruandi Euangelij in incunabula Antichristi: nec finem fecerunt, quin à modicis fundamentis, tempore planè breuissimo in eum splendorem, copias, atq; opes excreuerint, vt etiam D. Hieronymus, monachorum alioqui sedulus assertor, conquereretur provinciarum præfectos splendidius conuiuari in monasteriis, quàm in palatiis principum. Et si verò res ipsa docuit hoc nomen monasticum in felicissimum evertendæ domus Dei extitisse omen, tamen non caruit hoc institutum aliquandiu, vt piis studiis, sanctisque exercitiis, ita etiã multis frugiferis laboribus quibus quidquid incolume extitit ad hæc vsq; doctissima tempora velimus, nolimus acceptum ferre cogimur. (sed vt dictum est) non potuerunt illæ virtutes diu esse incolumes inter luxum, & saturitatem, aut si quod superesset sobrietatis vestigium, id, quemadmodum Græcorum sectæ de sinibus, & differentia bonorum tantum digladiabantur. Iudeorum verò de exprimenda perfectione legis, totum consumebatur circa operariæ sanctitatis imaginationem, philautiam, & ridiculos conatus. Erat itaq; mox adultus creueratq; in plenum robur Antichristus contractum ex votis castitatis, à Pontificibus Romanis impositis, ex fiducia operariæ iustitiæ ad oppugnandam iustitiæ Christi maiestatem

statem, sed nimie opes, & luxus impeditum reddebant, quo minus illis hauris egredi vellet ad vsurpandum diadema, gerendaque contra sanctos Dei bella. Præsagiens igitur perditionis, & blasphemie Princeps ista abdomine, & crapula impedita portenta parum momēti amplius adferre posse rebus suis paulatim ad periodum vergentibus, non defuit tamen sibi quo minus extremis casibus opem, atque supplementa circumspiceret, quibus, quantas posset maximas clades inferret convocaturo iterum haud dubiè sub finem mundi ad libertatem, & salutem populum suum antesignano Christo. Ad hos novos Sathanæ delectus erupit Theologia scholastica, instar nefarij capitis, quod blasphemo ore per ciuitatem Dei inculcaret omnem doctrinam mendacij specie diuinæ sapientiæ, profundæ eruditionis, & plûsq̃uam doctoralis maiestatis sese commendantem. Monstroso capiti attexta sunt monstrosa membra manticariæ paupertatis, quæ pro manibus, & pedibus in quadraturam explicata, decentissimo incessu machinam abominabilem involucro simplicitatis, & sanctitatis excultam promouerent. Hoc iumentum blasphemie plena statura primùm insinuauit se mundo circa annum millesimum ducentessimum duodecimum, aut circiter, quo nullum vnquam commodius se clunibus Antichristi submisit, doctius succlinauit, tutiùs gestauit, velociùs pertulit. Respiciamus enim ad res diuinas, respiciamus ad humanas, siue illæ publicæ, siue priuatae fuerunt, quæ vnquam tygris sic incitauit pedes ad

velocitatem? quæ leæna rugiens, sic exacuit ungues?
 quæ aquila sic expandit alas, dispexitq; prædam? vt
 hæc quinquemembris bestia suum illum septemcolli-
 num sessorem intulit simul mentibus hominum, &
 sedibus immortalium deorum. Demus nullum fuis-
 se mundo exortum solem: non fronti datos oculo-
 los ad contuendam lucem, non menti rationem ad
 apprehendendam de Deo creatore nostro veram re-
 ligionem, nullas conditas leges, quis potuisset nobis
 offundere maiores tenebras? magis beluinam stupidi-
 tatem? crassiores errores? quis adducere ad horribi-
 liorem blasphemiam? Quis vel dissipare barbariore
aragis? vel opprimere cruentiore tyrannide? An non
 tandem totis trecentis quinquaginta annis seruinus
 hypocritis? proditoribus? scurris? ardelionibus? cau-
 dicibus? fungis? qui ne seruitute quidem nostra adhuc
 placati, sed pro dominis carnifices facti, missera man-
 cipia passim mactant, iugulant, defodiunt, cremant,
 mergunt? Conferamus igitur denuo illa tam grauium
 iudiciorum Dei exempla, quæ se tam in gentium, quã
 Iudeorum repub. patefecerunt, ad nostros reatus, v-
 tris obsecro grauiores putabimus incubuisse errores?
 Quod ad gentes attinet, quis docuit meliora? quis re-
 darguit? quos cõvicit? Ad Iudeos respicimus? Illi tot
 milliũ annorum expectatione fatigati, & toties in du-
 bium adducti, hic an ille esset quem venturum spera-
 bant, nos subito gaudio perfusi, eoque, quem promif-
 sum nesciebamus, potiti: illi difficultate onerum de-
 territi, seruitute legis pene oppressi, nos suauitate iu-
 gi,

gi, & leuitate ponderis inuitati atq; erecti: illi tot ex-
 antlatis laboribus inuitiles visi, nos nihil promeriti o-
 mnium participes facti sumus: illi in vmbra educati,
 nos in luce nati: illi ex vmbri legis caligãtes, cum nec
 exhibentem se viderent, nec loquentem audirent, nec
 docentem intelligerent, excisi sunt, nos amplexi simi-
 lem factum nostri, humanaque forma calcantem tor-
 cular, nec vllam salutiferi operis partem à nobis exi-
 gentem secuti, insiti sumus. Vnde igitur ista tam pro-
 funda ruina nostra nouissimis hisce momentis, quum
 potissimum stare nos decuisset, originem, atq; occa-
 sionem hausit? nisi, quod sine omni occasione, non te-
 nebris assueti caligamus ad lucem, neque figurarum
 involucris suspensi perseueramus in coniecturis. sed
 quod ipsi luci oculos clausimus, ducem ipsum dese-
 ruimus, porrectam ducētis manum repudiauimus, de-
 nique ipsam viam regiam, neque ad dextram, neque
 ad sinistram habentem vllum vestigium spontaneo au-
 su prævaricati sumus, vt per auia atque inuia, trans-
 versi simul ac præcipites cucullata monstra, togata
 deliria, dedecora naturæ, carnifices, ac latrones no-
 stri sanguinis secuti, in chaos errorum, & barathrum
 perditionis rueremus. Adversus quem impetum nisi
 manibus pedibûsque renuci excussis semel istis cæci-
 tatis ducibus in ipsam viam antiquam, veritatem &
 vitam redeamus, quid aliud expectemus, nisi vt ad
 illam periodum tandem protrahamur, quæ ex pleni-
 tudine gentium salutem promittit Israeli? Hæc est illa
 periodus, quæ nobis, dum pertinaciter ab istis lupis

decepti oppugnāmus veritatem, nostræq; salutis fastidio oblectamur, denuntiat miserrimam sub antichristi tyrannide seruitutem, à qua nemo pestea eripiat, nisi, quòd paucis electis promittitur abbreviatio dierum, nec tandem toti humano generi sine discrimine superveniat cœlestis iudex ad damnationem. Finire me res ipsa postulat, ne tandem nimia prolixitate, Lectorem parum æquum mihi reddam. Quem tamen, velit, nolit, non antè dimittam, quàm hortatus fuero, vt meminisse velit vno eodémque fato scholasticorum theologorum, & Mendicantium monachorum sectas à Sathana in mundum submissos esse, ad oppugnandum secundum adventum Christi, qui iam iam iudicaturus aderit humanum genus, quò (vt dixi supra) græcorum sophismata primum in Asiam, post in Italiam quasi torrente effusa cum Iudeorum hæresibus coniurarunt in nasciturum ad liberandum hominem à damnatione Christum. Confer, quisquis voles sectas sectis, confer tempora temporibus, confer ipsas rationes, nihil discrepabit numerus, convenient tempora, anni rationes si quod discrimen quærimus, remoueamus Græcos, qui disputando contenti, nunquam eruperunt in alienum sanguinem, & cesserunt tandem meliora edocti irriso tantum Christo, vt Paulus inquit. In Iudæis constantior similitudo. Trucidauit ea gens Christum, venientem vocantemque ad salutem: sustulit & prophetas de Christo vaticinantes, donec dissipata, ne hodie quidem domicilium inuenit, & tamen reliquæ perseverant in
eodem

eodem scelere. Cucullata mēdicitas, cum institutum hoc
 quod contra Deum, naturam, homines, communem ho-
 nestatem, ac pudorem tuebatur, velut incendio quodā,
 non tam fūco sanctitatis, quā non dissimulata etiā vi,
 intulisset vrbibus, adeo nullam potestatem, nullas le-
 ges, aut magistratus reverita est, vt etiam vixdum se-
 dibus bene confirmatis mouere seditiones cœperit con-
 tra antiquissimas academias, oppugnare doctrinā Ec-
 clesiarum, invadere pulpita pastorum, ipsosq; schis-
 matibus, odiis, infamia exagitare, bonis passim creare
 periculum, donec inaudita tādē audacia cō invaluit,
 vt vniuersam rempub. Christianorum cum Imperato-
 ribus, regibus, Principibus, magistratibus tam Ecclē-
 siasticis, quā politicis, deniq; cum vniuerso populo,
 extremisq; primæuæ Ecclesie reliquiis absorpsit in ser-
 uitutem Antichristi, qui hisce præstidiis nixus mox illa
 fastigia monarchiæ conscendit, qua, luce meridiana
 clarius est, illum omnia sacra prophanasse, omnium or-
 dinum antiquos mores corrupisse, Ecclesie *ivta* sua
 stulisse, scripturarum sensum oblitterasse, veterum con-
 ciliorum etiam mentionem, nedum formam, & liber-
 tatem abrupsisse, leges monarchicas, & oligarchicas
 primū sibi, mox suis Episcopis in verba concepta iu-
 ratis promulgasse, iisq; asserendis, ac tuendis Impera-
 tores ipsos, Principes, magistratus, quorum iniuria
 condite erant, inter se duello ad lantenam commisisse,
 miserisq; miserorum cædibus se oblectasse. Quæ o-
 mnia nunquam potuisset exequi, nisi his satellitibus,
 cursoribus, exploratoribus, lictoribus, qui tam breui

momento temporis occuparant conscientias hominũ datum fuisset vti frui. Venit tamen secundò Christus, missisq; per hos quinquaginta annos præconibus suis, illos velut ad dicendam causam citauit. quos adeò non audiuerunt, vt, postquam causa se stare non posse viderent, in qua, quod responderent, non habebant, ecce (quod Antichristi verè proprium est) quanta infania instituto Tridenti Concilio ausum se iterum manifestare Christum iugularunt. Iugularunt & antè toto hoc tempore missos ad se, nec vlli pepercerunt, qui vel verbo ausus esset interpellare, sed, quod fere cum singulis reis esset altercandum, iudicèsq; æquum putarent provocantes ad scripturas Euangelicas antè convincere, quàm damnarentur ad supplicium, vt semel hũc scrupulum tollerent, magistratibus silentium imponerent, sibi securitatem parerent, Concilio promulgato leges, iudicia, causas, patrocinia, responsiones abrogarunt. Huic igitur principio quisquis contradicit, ad *ἀπίστας* ipsorum non habet mentè: vltèrius quærere nefas, contradicere capitale. Hanc arcem sublata nobilitate, diminutis magistratibus, oppressis legibus, accitis in ceruices nostras exoticis percussoribus, direptis bonis etiam abbatiarum, & collegiorum muniunt, parati haud dubiè persistere in furore & scelere, donec idem patiantur, quod illæ Iudæorum sectæ, sicut et ad eundem modum tractant Christum cum membris suis venientem ad glorificandum fideles suos, quo illi venientem ad eximendos credentes à peccato. Et reuera, aut iudicia Dei à tenore suo exorbitabunt, (quod certe

certè haftenus non fecerunt) aut cum idem nunc sit ad crucifigendum Christum apparatus, qui erat etiã tunc) planè eundem crucifigentium videbimus exitum. Erat illic pontifex, est & hic: erant illic scribæ & legisdoctores, sunt & hïc theologi, magistri nostri: erant illic serui pontificum, qui colloquentem cum cælesti patre in spiritu, comprehensum adducerent in atrium principis sacerdotum, sunt & hïc Mendicantiũ scurræ, qui pios exploratos è latebris, vbi Deum invocant, extrahunt ad supplicia: percusso illic pastore disperguntur oues gregis, disperguntur & hic: distrinxit illic vnus præposterus Zelus gladium suum, sed cum nondum esset tempus vindictæ Domini, tumultuata & hïc plebecula est, sed cum nondum cælestis ira inarsisset ad disseccandos hos Malchos: fuit illic Pilatus homo ethnicus, qui opera gentilis militiæ postulantibus ad mortẽ autorem vitæ, morem gereret, est & hïc exoletus Charon ex Sarracenorum catulis oriundus, qui recutitorũ pedellionum satellitiõ pios cædibus & supplicis vastat: erant illic qui diuiderent vestimenta, & super vestem mitterent sortem, sunt & hïc qui diuidant patrimonia nostra, & super domos, vxores, & filias profugorum sortiantur: timebatur illic ne Romani tollerēt locum, & gentem, timetur & hïc ne Euangelium tollat marsupium, manticam, & offam. Itaq; (vt tandem absoluam) haud dubiè similia flagitia excipient similes pœnæ, quæ spectantibus nobis, citius quàm venti disiciunt puluerem de facie terræ, (vt inquit psalmista) stirpitis excindunt omnem hunc strepitum tan

horrendæ tyrannidis, sed an non idem eventurum sit, quod in viperarum morsibus, quæ confectæ multo nocentissimum fundunt venenum, hoc certè nescio, metuo autem ne ruina impiorum grauisima vulnera relinquat reipub. nostræ. Inò quemadmodum receptis sectarum quotidianis consiliis Respublicæ Græcorum, Romanorum, & Iudeorum grauisimè vel ad seruitutem, vel ad internecionē quassata sunt, ita quid ad nostras res ex illis tremendis elegantissimarum gentium exemplis accomodare velit æquus Lector, ipsius esto arbitrium, meos vicissim conatus, si laudare nolit, saltem ne aliorum sententiis præiudicet: si hoc bona pace obtinere non potero, sed morosius me aliquis interrogare decreuit, cur, qui multa dixi, non etiam hæc in re interposuerim meam sententiam, ei intrepidus confiteor, mihi videri, quoniam mundus posthac cæpax non est mutationum, quæ spectent ad ordinē monarchiarum, omnes has agitationes fore ciuiles, constiturasq; intra regnorum terminos, donec funestæ fiant ipsis regum domibus.

F I N I S.